



**R.P. Leonardii Lessii E Societate Iesu Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus Hvmanis. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censvris.  
Prælectiones Theologicæ Posthvmæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Dvb. Vtrum verè Eucharistia sit medium ad salutem necessarium in re, vel  
in voto, sicut baptismus omnibus est necessarius, & pœnitentia relapsis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](#)

84 Qu.73. De SS. Sacramento Eucharistia secundum se. A. 2. 3. D.

vnum est homo, & sicut Deus & homo vnum est Christus; ita species & corpus Christi sunt vnum Sacramentum Eucharistiae.

ARTICVLVS II.

Vtrum hoc Sacramentum sit vnu  
Sacramentum, an plura?

<sup>10</sup>  
Est vnum  
specie Sa-  
cramentum

R Esponderet: Eucharistia, eti constet duabus speciebus, est tamē vnum integrum Sacramentum, id est, vnum specie. Est communis sententia Theologorum. Ratio est: quia vtraque species ordinatur ad vnam perfectam refectionem spiritalem: vnde, sicut cibus & potus sunt vnum conuiuum, vna refectio corporis, sic Eucharistia sub vtrāque specie est vna refectio spiritus. Simili modo vtraque species requiritur ad rationem vnius perfecti sacrificij, ut infra dicetur.

Dices, Si vtraque species iuncta constituit vnu perfectum Sacramentum, & vnam refectionem: ergo is, qui solum alteram speciem sumit, non accipit perfectum Sacramentum, nec perfectam refectionem spiritalem.

Respondeo, Negando Consequentiam, si absolute loquamus: Quia, eti illæ duæ species iuncte constituent vnum perfectum conuiuum, & Sacramentum; tamen etiam quatuor species per se & seorsim quadammodo totam perfectionem Sacramenti continet, scilicet per concomitantiam.

<sup>11</sup>  
Quomodo  
sub vna  
specie ha-  
beamus in-  
tegrum Re-  
fectorium Sa-  
cramentum  
spirituale.

Vnde licet quatuor species nō sit formaliter integræ refectio spiritalis, est tamen integra per concomitantiam eius, quod sub altera continetur: nam species panis non tantum continet corpus Christi, quod est cibus spiritalis, sed etiam sanguinem, qui est potus spiritalis, quamvis non ex vi consecrationis, sed per concomitantiam.

Vnde licet corpus Christi cum specie panis nō sit, nisi partiale Sacramentum formaliter, est tamen integrum per concomitantiam.

ARTICVLVS III.

Vtrum Eucharistia sit de necessita-  
te salutis?

<sup>12</sup>

R Espondet D. Thomas Primò, Rem Sacramenti huius esse de necessitate salutis: quia res huius Sacramenti est vnio cum Christo & corpore eius Ecclesia per Charitatem, quæ vno est ad salutem necessaria. Intellige in genere, licet non vt effectus huius Sacramenti. Secundò, Ipsiū Sacramentum Eucharistia non esse necessarium in re: esse tamen necessarium in voto, quod includitur in baptismo.

D V B I V M.

Vtrum verè Eucharistia sit medium ad salutem necessarium in re vel. in voto, sicut bapti-  
mus omnibus est necessarius, & punitentia  
relapsi?

<sup>13</sup>  
Opinio af-  
fers, cuius-  
que funda-  
mentum.

Q Vidam ita censem, ob locum Ioan. 6.v.53. Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. & ob quedam loca D. Augustini; vt lib. 1. contra

duras epistolas Pelagianorum, cap. 22. Nec illud cogitat, eos habere vitam non posse qui fuerint expertes corporis & sanguinis Christi; dicente ipso, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. qui locus mendicè citatur apud D. Thomam ex Gratiano. Simili modo loquitur Innocentius I. epist. ad Concilium Mileitanum, quæ est 93, inter epistolas Augustini. Imò quidam existimat Eucharistiam esse causam vniuersalem, quæ operetur in omnibus, & per omnia Sacraenta. Verum

Dico Primo, Eucharistia in re, non est necessarium medium ad salutem, neque parvulus, neque adultus.

De Parvulis est fide tenendum; vt patet ex Cōcilio Trident. sess. 2. can. 4. si quis dixerit, parvulus antequam ad annos discretionis peruerenter, necessarium esse Eucharistia communionem, anathema sit. Ratio est: quia baptismus tollit omne peccatum, confer gratiam, & facit Filium Dei, & consequenter h̄redem regni.

De Adultis Probatur: Quia Eucharistia est alimento animæ: atqui alimentum supponit vitam in eo, qui alitur: atqui, qui habet vitam gratiæ, hoc ipso est dignus vitæ æternæ: ergo Eucharistia non est necessaria necessitate medij: cùm sine illa salus haberí possit.

Dices, Eucharistia ordinatur ad vniō mysticam membrorum in uno corpore, quod est Ecclesia: atqui sine hac vniōne non potest esse fatus: ergo Eucharistia est medium saluti necessarium.

Respondeo, Vnio corporis mystici non est effectus folius Eucharistiae, sed omnium Sacramentorum. Nam hæc vnio interius quidem fit per fidem & charitatem, quæ ab omnibus Sacramentis conferuntur, vel augentur: exterius autem fit per Sacramentorum vñum, & aliam externam fidei professionem: hinc D. August. lib. 19. contra Faustum cap. 11. ait, Sacramentorum confitio Ecclesiam in vnum corpus colligari. Vnde hæc vnio, per baptismū inchoatur, quantum satis est, vt homo saluus esse possit. Tribuitur tamen peculiariter Eucharistiae: Primo, quia per Eucharistiam perficitur; hæc enim maximè charitatem auget. Secundò, quia per Eucharistiam Ecclesia membra non tantum vniuntur in charitate & externo symbolo, sed etiam in uno corpore, & in uno sanguine Domini, qui singulis realiter coniunguntur, & miscetur. Vnde Apost. 1. ad Corinth. 10. v. 17. Vnus panis & vnum corpus multi sumus, qui de uno pane, & de uno calice partipiamus.

Dico Secundò, Eucharistia in voto non est medium absolute necessarium ad salutem, sive parvulus, sive adultus.

Est certa. De Parvulis probatur, quia non sunt capaces voti Eucharistiae, si propriè velimus loqui, & non ludere metaphoris: votum enim est desiderium; quod non est nisi videntium ratione. Si dicas, hoc votum includi in baptismo: hoc nihil est aliud, quād dicere baptismum eis esse necessarium: quod libenter fatemur.

Deadultis probatur: Quia nullus est effectus Eucharistiae necessarius ad salutem, qui non possit etiam alijs medijs ab adultis obtineri: ergo non est medium necessarium. Medium enim necessarium dicitur, quod confert aliquem effectum necessariū qui aliter haberī nequit. Antecedens patet: quia vno

<sup>14</sup>  
Eucharistia  
in re, non  
est necesse  
ad salutem.

Car. Vno  
mystica per  
charitatē  
tribuatur  
S. Eucha-

Neque cuī  
in voto est  
ad salutem  
solūne-  
cessaria.

### Qu 73. De SS. Sacramento Eucharistiae secundum se. A. 3. D. A. 4. 5. 85

vno cum Christo per charitatem & auxilia specialia qua Eucharistia confert, partim per alia Sacra menta, partim per bona opera & orationem, possunt obtineri. Si dicas, ita auxilia con fer ratione voti Eucharistiae. Contrà: quia Confirmatio, Pœnitentia, & reliqua Sacra menta vim habent absolute, & per se, non autem ratione voti alterius Sacra menti: similiter oratio, & opera meritoria. Quod confirmatur, quia aliqui oportenter postea intuitu cuiusque Sacramenti percepti, vel orationis, vel operis meritorum facti suscipere Eucharistiam. Si enim nihil hors effectum sum confert, nisi cum proposito & ordine ad Eucharistiam: ergo post singula manet peculiari ordo, & obligatio ad Eucharistiam, & necessaria oportebit eam sumere propter illa. Sicut, quia contrito non iustificat sine voto baptismi, vel pœnitentia; manet ratione huius effectus peculiari ordo & obligatio ad ipsum Sacra mentum.

<sup>16</sup> Deo Tertiò, Eucharistia, est non sit medium abfolutè necessarium ad salutem; est tamen valde vtile, & quodammodo necessarium moraliter, vt homo multo tempore in gratia perseveret. Ratio est, Quia per Eucharistiam conferuntur sine magno nolto labore maiora quedam & efficaciora auxilia contra peccata; quæ spectata humana imbecillitate, & negligentiâ circa alia media, sunt quodammodo necessaria. Vnde Cyprianus in expositione orationis Dominicæ, circa illud Panem nostrum quotidianum: *Vt manifestum est, inquit, eos vivere, qui corpus eius attingunt, & Eucharistiam iure communionis accipiunt, ita timendum & orandum, ne dum quis absens separatur a Christi corpore, procul remaneat a salute, comminante ipso, Nisi manducaueritis &c. non habebitis vitam in vobis.* Et Cyrillus lib. 10. in Ioannem cap. 13. Non poterat aliter corruptibilis hac natura corporis ad incorr pulsibilitatem, & vitam traduci, nisi naturalis vita corporis ei coniungeretur.

<sup>17</sup> Ad argumenta contraria sententia, num. 13: proposita: Respondeo, illud Ioannis 6. v. 53. *Nisi manducaueritis &c. non significare absolutam necessitatem medi, sed præcepti; & quandam necessitatē medi conditionatā; nec pertinere ad parvulos, qui non possunt per se præceptis obligari; sed ad solos adultos; tales enim erāt, quibus Dominus ibi loquitur: sicut & illud, Nisi efficiamini, sicuti parvuli, non intrabitis in regnum celorum.* Ratio est, *Quia hec omnia significant actionem quendam liberam à singulis præstandam, quæ non potest, nisi ab adultis fieri. Secūs est cùm dicitur, Nisi quis renatus fuerit: hoc enim non significat actionem liberam renascentis.*

Aduerendum tamen est D. Augustinum etiam ad parvulos interdum sententiam illam Domini, *Nisi manducaueritis &c. accommodare: sed tunc non exponit eam ad litteram, sed spiritualiter & mystice, vt idem sit manducare carnem Filii hominis, & bibere eius sanguinem, quod incorporari Christo, & fieri membrum mystici corporis eius.* Vide illum Tractatu 26. in Ioannem: & ita parvulus necessarium est ut manducaret carnem & sanguinem Domini, id est, vt Christo incorporateatur. Item vt fiant participes eius corporis & sanguinis, id est, passionis & meritorum. Sed hoc totum fit per baptismum.

<sup>18</sup> Vnde patet parvulos secundum Augustinum manducare carnem Christi, quando baptizantur;

tunc enim Christo incorporateatur, fiuntque par ticipes pretij & meriti eius. Nunquā vero D. Augustinus, vel alij Patres dixerunt, parvulis Sacra mentum Eucharistiae esse necessarium. Vnde cessat quæstio, quomodo parvuli habeant votum sacramenti Eucharistiae. Quidam tamen Doctores, inter quos D. Thomas, occasione verborum Diui Augustini excogitarunt illum modum loquendi, nempe quod parvuli Eucharistia in voto sit necessaria: sed hoc valde impropiè dicitur; & in re nihil aliud significatur quam baptismum eis esse necessarium; per quem implicitè ordinantur ad Eucharistiam, & censentur eam quodammodo appetere. Sicut enim omnis qui nascitur, appetit naturaliter cibum corporalem; ita omnis qui renascitur, censetur habere desiderium implicitum huius cibi spiritalis.

Quando &  
quomodo  
parvuli  
manducant  
corpes Do  
mini, ha  
bitantque  
eius votū.

### ARTICVLVS IV.

*Vtrum conuenienter hoc Sacra  
mentum pluribus nominibus  
nominetur?*

<sup>19</sup> **D**icit hoc Sacra mentum rectè appellari pluri bus nominibus. Primò appellatur *Eucha*-  
*ristia*, id est, gratiarum actio; quia celebratio huius tia,  
mysterij tum sub ratione sacrificij, tum etiam sub  
ratione Sacra menti, est summa quedam actio gratiarum, pro gratia noui Testamenti; nec possumus  
Deum magis laudare, vel ei gratias agere quam oblatione vel sumptuone huius mysterij. Vnde Propheta Psalm. 115. *Quid retribuam Domino, pro omnibus que retribuit mihi? calicem salutari accepiam &c.* Vnde etiam Dominus in institutione gratias egit Patri, idque bis.

Secundò, Dicitur *Communio & Synaxis*, quia Communio  
nos Christi carni & sanguini coniungit; & in ea Syna-  
vnum colligit, Deoque vnit, vt sit Dionysius xis.  
cap. 3. parte 1. Eccle. Hierarch. & Damasc. lib. 4.  
de Fide cap. 14.

Tertiò, Dicitur ibidem apud Dionysium Te-  
lètè trætū, id est, *Consummatio Sacra mentorum*; Consu-  
matio Sa-  
cramentorum.

Quartò vocatur *Sacrificium*, quia est unicum  
nouæ legis sacrificium. Sacrificiū.

Quinto vocatur *Fructus panis*. Act. 2. & 20. &  
Fructus  
1. ad Corinth. 10.

### ARTICVLVS V.

*Vtrum institutio huius Sacra  
menti fuerit conueniens?*

<sup>20</sup> **D**icit D. Thomas hoc Sacra mentum conuenienter fuisse institutum in ultima cena. Tres ratio-  
nes cur Eu-  
charistia  
instituta  
in ultima  
Cena.  
Primò, Ut Ecclesia sua, iam abiturus, si tamen perpetuè præsentem exhiberer. Secundò, Ut ei relinqueret sua passionis perpetuum memoriale & sacrificij à se per passionem semel oblati perpetuam oblationem & repetitionem. Tertio, Ut firmius tantum beneficium hominum mentibus inhæret, & pluris astimaretur: ea enim quæ in abitu dicuntur vel traduntur, pluris astimantur, & firmius memoriæ inhærent, vide Diuum Thomam.

Hh h

His addit.